

dines per Regulam Dioptricam in Quadrantis diuisionib⁹ indicate, numerande uen⁹t. Sed quicmadmodum de Sextantis Instrumento prius dixi, hæc omnia ex attenta Figuræ inspectione melius dignoscuntur, plenissimè uero per ipsius Instrumenti tractationem.

Explicauit nunc duo illa Organa Astronomica, cu⁹ sūs in hoc Cometa us⁹ sum. Suntrāmē ea ipsa postea à me antiquata, partim quod Quadrans iste iust minor esset, & ob id minuta singula graduum nimis constringeret: & Sextans etiam per tot requilita non satis expeditè in planum duarum Stellarum disponeretur: partim quia postea in alijs multo maioribus & exactioribus Instrumentis, commodiorem & perfectiorem Obseruandi rationem adiuuerterim. Nam inter Machinas meas Astronomicas, quas iam numero viginti, maxima diligentia, nec minoribus sumtib⁹ elabatas, ad instar Thesauri rarissimi habeo, quatuor alia Instrumenta quadricubitalia & quincubitalia inueniuntur, quæ Altitudines ratas in aliquota minuti parte exhibent, & terna ex his vnā Azimutha expeditiori reuolutionis compendio ad amissim ostendunt. Sextantes etiam quatuor longe aliter formatos, & quadricubitales postea fieri curauit, qui intercedentes Stellarū multò subtilius rimantur vnaq; tractabiliores in fulcris alio etiam modo ordinatis, existunt. Verū tam hæc quam etiam alia à nobis constructa Astronomiæ Organa, constitui peculiari Opere in quo Artis Mechanica pars comprehendetur, describere. Interea volui horū duorum, qualia tunc, cum Cometa hic effulsit, in promtu erant, fabricam Astrorum contemplationi deditis, communicare, ut constare possit, quibus medijs Obseruationes in eo assequutus sim.

Existimo autem omnia ad Astronomicam huius Cometæ considerationē pertinentia, sufficienter à nobis elucubrata esse. Quæverò Physicam & Astrologicam, de Generatione & Significatione talium peregrinorum Phænomenon, dijudicationem propriè respiciunt, in Epilogo totius Operis, velut aliquoties promisimus (fauente Numinis) tractaturi, imposito huic

Secundo Libro Colophone, iam nunc
calatum sistamus.



NNN